



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

234. De modo profectionis, & mansionis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

D. N. IESV CHRISTI. 215

**I.** Ecce ego mitto vos sicut oves in medium luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Matthæi 10. & 16.*

**II.** Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos: & ad præfides, & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis, & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. *Matth. 10. & 17. 18. 19. 20.*

**III.** Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus propter nomen meum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *Matth. 10. & 21. & 22.*

MEDITATIO CCXXXIV.

*Didagma XL. De modo Profectionis, & mansionis.*

**I.** Præcepit eis Iesus, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: (*intellige baculum viatorum, more peregrinorum*) non peram, non panem, neque in zona æs. *Mar 6.*

Marc. 6. 6. 8. Ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, (intellige talem, quae sit insigne honoris atque potestatis, ut est sceptrum, fasces &c. item talem, quae alios percutiant, ut arma) neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Luc. 9. 6. 3. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris : non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, (hoc est, duo calceorum paria, nam Marci 6. 6. 9. mittit eos calceatos sandals) neque virgam : dignus enim est operarius cibo suo. Matth. 10. 6. 9. & 10.

II. In quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit : & ibi manete, donec exeatis. Matth. 10. 6. 11. Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde. Marc. 6. 6. 10. nimirum ex civitate, aut castello. In quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde (ex domo illa ad alias atque alias domos) ne exeatis. Luc. 9. 6. 4.

III. Intranses autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam. Si autem non fuerit digna

gna, pax vestra revertetur ad vos. *Matth.*  
*10. v. 12. & 13.*

# MEDITATIO CCXXXV.

*Didagma XLI. De modo egressionis  
ab infidelibus.*

I. **C**um persequentur vos in civitate ista,  
fugite in aliam. Amen dico vobis,  
non consummabitis civitates Israël, donec  
veniat filius hominis. *Matth. 10. v. 23.*

II. Quicumque non receperint vos, nec  
audierint vos: (sermones vestros, *Matth.*  
*10. v. 14.*) exeuntes inde (de civitate illa,  
*Luc. 9. v. 5.* vel de domo, *Matth. 10. v.*  
*14.*) excutite pulverem de pedibus vestris  
in testimonium illis. *Marc. 6. v. 11.* Etiam  
polverem pedum vestrorum excutite in te-  
stimonium supra illos. *Luc. 9. v. 5.*

III. Amen dico vobis; Tolerabilius erit  
terra Sodomorum, & Gomorrhæorum in  
die Iudicij, quàm illi civitati. *Matthæi 10.*  
*vers. 15.*

IV. Et exeuntes prædicabant, ut pœni-  
tentiam agerent: & dæmonia multa eicie-  
bant, & ungebant oleo multos ægros, & sa-  
nabant. *Marc. 6. v. 12. & 13.*